



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Embricivs Ex Baronibvs Ababensberga Bavarvs Abbas Heremi Qvintvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



EMBRICIVS EX  
BARONIBVS ABA-  
BENSBERGA BAVA-  
RVS ABBAS HERE-  
MI QVINTVS.



ANTA erat Heremitarum per ea tempora fama, & disciplina, vt non solum inde, vti vidimus, ad Episcopatus idonei praesides peterentur, sed si quod nouum construendum monasterium erat, conditores ab eis & magistros, monasticaeque vitae institutores plerumque exposcerent. Inter eos Rathbot Comes Vindonissensis fuit, à quo Comites Habsburgienses, & deinceps Austriae Archiduces, Reges, & Imperatores. Is cum monasterium Muri sollicitatu, & opibus Itæ Lotharin-

giæ du-

ducis filia coniugis condere decreuisset, ab Embricio formam, modumq; & regulam, Prapositumq; & rectorem, qui noui monasterij administrationem capesseret, postulare non dubitauit. Qui licet primo eam curam abnuisset, magni tamen Comitis, & eius coniugis precibus victus, & maxime diuini cultus augendi desiderio, non modo illis Reginboldum egregia sanctitatis virum, sed alios etiam monachos misit. Addidit & de suo suppellectilem, libros, sacras vestes, alia, quae usus, & nouitas monasterij requirere videbantur. Ita in Habsburgiacis, ut alia nonnulla, ex Murenribus actis traditum reperio, quorum haec pauca inde interserere operae precium putauit. *Sub eodem tempore cum maximum placitum fieret iuxta pontem fluuij, qui dicitur Glat, venit illuc Comes Radiboto, & accersuit de Cella sancti Meginradi abbatem venerabilem nomine Embricium, & eum rogauit, ut pro DEI amore ipse faceret hic monasterium construere, & cetera quae fuissent necessaria monachis habitacula, & suos fratres ad hoc implendum destinaret. Cui cum ipse abbas vix assensum praeberet, sic a Comite, & uxore eius compulsus est, ut locum commendatum in suum magisterium suscipiens mox huc destinaret Reginboldum monachum in omnibus actibus eius laudabilem virum, qui nuper antea a Salodoro castro ad conuersionem venerat, & ei praecepit ut ipse Prapositus esset hic, & quidquid utilitatis hic ordinare potuisset facere non differret. Misit & alios fratres qui eum adiuuarent, & libros, quorum quidam adhuc hic sunt. & missales, vestes, & alias varias suppellectiles. Et sic primum huc venerunt monachi.* Anno millesimo, vicesimo septimo, Cunradus, transfactis in Insuubria hibernis, militem Romam perduxit, ibique xx. Kal. Aprilis festo paschatis imperialia ornamenta ab Ioanne Pontifice accepit primus eius nominis Imperator. Subacta, mox & pacata, praeter paucas Tusciae vrbes, Italia, in Germaniam noua Cunradi, Ernestiq; ducum rebellionem reuocatus, Vlmæ conuentum principum agitauit, & secundo rebellibus gratiam fecit, maxime Giselaë precibus, quae pro filio maximo opere intercessit. Inde copias contra Vernherum & ipsum Kiburgi Comitē, qui ad rebelles transierat, neq;

A. D. X.

C I D.  
XXVII.

dum ad officium redierat, mouit. Kiburgum expugnatum incendit, & diruit. Quibus peractis Tigurum venit, ibique Heremitarum clariori diplomate priuilegia, & bona, & iura confirmauit, & illustrauit. Eius infra copia est.

**I**N nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Cunradus, Diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator semper Augustus. Nouerit omnium DEI fidelium, nostrorumq; vniuersitas, Qualiter nos pro remedio animæ nostræ, parentumq; nostrorum, Ecclesiasticas res, à quibusdam ob æternæ recompensationis spem, loco sancto, MEGINRADES Cella nuncupato, fratribus ibidem sub abbatum regularium monachico moderamine, manentibus, vel in posterum successuris, DEI seruitio commodius sustentandis, concessas, præcepti auctoritate Imperatorij confirmamus, cum locis diuerse illo contraditis, ac huiuscemodi subnotatis, id est, iuris sui curtem Riegel-vocatam, cum locis Endinga, Vuenelinga, Chenzinga, Deninga, Purcheim, Baldinga, Rotuuila, Betzenhusa, Berga, Bochesberg, Zarda, Liela, Tutesvelda, Richulinga, Birinheim in Ducatu Alamannico, in pago Brisgouue sitis. In Comitatu etiam Zurichgouue loca, Uffenouua, cum ceteris eo pertinentibus, id est, Pfassinckouua, Virngouua, Ecclesiaque in Meilanosita, ceteraq; illuc, vbiicumq; terrarum iacere videantur, pertinentia: cum dote eiusdē Ecclesiæ, Caltebrunna, Vtonuulere, Steuia, Bachin, Lindunouua, Rutin, Manindorff, EZzilinga, Friginbach, Raprechtesuulere, Sibbeneiha, Ouagana, Rutin, Vuanga, Suites. In Comitatu Turgouue, Aschenza, cum sibi pertinentibus locis. In Comitatu Linzichgouue, Tyzindorff, Turinga, Rutin. In Comitatu Rhetia Quadragedes, cū censibus cunctis, id est, fiscum ordeum, de accensis ignibus, adiutoria nostra expeditionis cincta, ceteraque omnia ad Imperiale ius pertinentia, & Meilis, Senouio, Enslina, NeZudra, Cise, Vallis Trusiana, Campesia, Berouua, cum Capella, que dicitur, Vuanga constructa, Lateria, Bocharia, & Cinctis. Hæc quippe omnia, cū singulis eorum pertinentiis, id est, vtriusque sexus mancipiis,

adificiis

ædificiis, terris cultis, & incultis, siluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, piscationibus, vinetis, alpibus, censibus, placitis, seruitiis, viis, & inuis, exitibus, & redditibus, quæsiis, & inquirendis, forestibus, & cum omnibus, ita ut ab antecessoribus nostris regibus, siue Imperatoribus, vel à quibuslibet ceteris eidem Ecclesia sanctissima matris DEI MARIÆ, abbatis, fratrumque vsui proprio condonata, sub nostra excellenti auctoritate firmamus. Ea scilicet ratione, ut omnium inquietudine circa hæc penitus semotâ, nullus aliquo potestatis iudiciaria præditus regimine, easdem iam dictas res, nec aliquatenus molestare, vi rapere, inaniter disperdere, seruitia inde in quacumque re exigere, vel aliquid iniuriare familiis eorum intus, vel foris, capitalibus censualibus inferre præsumat, nec ad seruitia iniqua constringat, vel aut sua tollendo, aut inique exprimendo, vel à fratrum iam dictorum continuo seruitio aliquatenus deducendo, vel impediendo consligat. Et ut hoc nostrum præsens præceptum cunctis sanctæ DEI Ecclesie filiis amodo, & deinceps firmitus, stabiliusque viuus, & successuris credatur, ac certificetur hanc chartam inscribi iussimus, propriaque manu subtus firmatam sigilli nostri impressione iussimus consignari.

Signum Domini Cunradi invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.

Vdalricus Cancellarius vice Aribonis Archicapellani recognoui.

Data XIII. Kal. Septemb. Indictione x. Anno Domini & Incarnationis M. XXVII. Anno vero Domini Cunradi secundi regnantis III. Imperij autem I. Actum Turegum. Feliciter. Amen.

Anno millesimo vicesimo octavo Cunradus Aquisgrani principum suffragio Heinricum filium ex Gifela genitum, quamuis tenerâ admodum ætate, Cæsarem designatum, coronandum per Peregrinum Coloniensem antistitem cura-

A. D. N.

C. D.

XXIX.

uit, festo pascatis. Obierat eodem tempore Vdalricus episcopus Curiensis. Rheti Constantienses secuti ab nostro Embricio nouum Episcopum petiere. Is Hartmannum Heremi Decanum, ipsum quidem Rhetum, & ex baronibus de Plana terra oriundum quem paulò antè Fabariam ad restituendum id quoq; monasterium miserat, illis Episcopum præesse iussit. Hartmanni postea clara auctoritas apud Cunradum Imper. fuit. Et superest eius eximium apud nos, & venerabile donum, reliquiæ S. Iusti nouennis pueri martyris, quas legatus Imperatoris in Gallia ab Antissiodoro reportarat. Vterque Diuus inter Monasterij nostri patronos cooptatus, singulari honore habetur. Qui secutus est annus exitiosus, & lamentabilis fuit Heremitis, incenso, & funditus absumto, extra Sacellum DEIPARÆ Matris, monasterio. Auctor tanti facinoris Eppo ab Hette vico Comitatus Aquensis haut procul Bremgaro opido oriundus. Alij per eius incuriam cum monasterio seruitutem seruiret, malignitati alij tribuerunt, & rerum prosperarum inuidiæ, & odio. Quidquid eius est haut ipse postea amplius adparuit. Quem vico Hette possidebat fundum in damni leuamentum ad monasterium peruenit. Primum hoc, & grauiissimum inter plura, quæ successerunt, ingenti veterum monumentorum nostrorum, & opum iacturâ, incendium. Et Embricio inde reedificandi magna relicta cura, & impensa. Anno millesimo tricesimo Cunradus in Hungariam exercitum duxit. Eius absentia, & insita perfidia, tertio contra vitricum arma sumsit dux Ernestus. Id ubi Imperator comperit, ipsum ducatu quidem priuauit, & id Hermanno Ernesti fratri concessit, eumque, quia admodum adolescens erat, Varmanno Constantiensi commendauit, tradiditque principalibus institutis, & moribus imbuendum. Tantam de se Varmannus probitatis, & sapientiæ famam, & opinionem fecerat. Sed inde quoq; ira, & vecordia rebellibus adcreuit. Per Allemāniam, & Germaniæ superiora, infestis pervagatus cohortibus, Ernestus quidquid Imperatori fidum, aut gratum, vehemēter adffixit, & peruastauit. Postea Falckenstein arcem Harciniæ vicinam

A. D. M.

CLO.  
XXXIX.

A. D. M.

CLO.  
XXX.

Mangoldi

Mangoldi Comitis Nelburgiensis obsedit. Mangoldus suis non defuit. Facto milite, & adiunctis, quæ apud Augiam præsidebant, cohortibus, cum hoste conflixit, victoriam reportavit, sed suâ mox ex vulneribus morte luctuosam Interfecti rebellionis principes Ernestus dux Allemanniæ & Vernerus Comes Kiburgi. Pugnata pugna xvi. Kal. Septembris. In ducatu Allemanniæ, vt diximus, successit fratri Hermannus. Romæ verò Ioanni xx. Benedictus viii. dictus ix. quamuis Benedicti regimen alij ad annum sequentem referant. Anno millesimo tricesimo primo, cum hætenus Monasterij habitationes in vsum, & necessitatem monachorum restituisset Embricius, simul quæ ad Basilicæ fabricam opus erant præparasset, hoc denique tempore vi. Mal, primum templi maioris DEIPARÆ, & S. Mauritij, sociorumque lapidem fundamenti deponere, solita cerimoniâ curavit. Anno millesimo tricesimo secundo obiit Rudolfus 111. Rex Burgundiæ, regnique insignia per Seligerum ad Imp. Cunradum transmisit, herede ex asse nuncupato Heinrico 111. Cæsare, ex Gisela pronepote. At verò Imperatore eadem tempestate cum Sclavis, & Polonis bellum gerente, per eam occasionem, & quia Rudolfum propius attingebat, vt pote ex sorore nepos regnum post eius obitum invasit Comes Campaniæ Otho, breuique, nemine resistente, obtinuit, præsidia Murati, & Neoburgi, & ceteris locis commodis posuit. Cunradus, audito quæ in Burgundiâ gerebantur, victorem exercitum eò ex Polonia rapuit, auctisq; in Alfatia, & Brisgouia copijs Basileæ dilectum habuit, ibiq; Giselam per bellum seposuit. Natalitijs hinc diebus anni sequentis ibidem factis, Iurassum superavit, Moratum obsedit, sed hiemis sæuitia, dilabente milite, destinata relinquere coactus, Constantiam in hiberna, diductis per præsidia copijs, abiit. Vbi eorum finis fuit, & mitescere tempestas cepit, Tigurum venit. Illic Ageltrudâ Rudolphi viduâ, Vmber-toque Sabaudix comite, alijsque Burgundiæ primoribus humaniter acceptis, eorum inuitatu Campaniam Othonis inuasit, incendijsque & prædis vastavit. Quibus compulsus

A. D. N.

C13.  
XXXI.

A. D. N.

C13.  
XXXII.

A. D. N.

C13.  
XXXIII.

*A. D. N.**CID.  
XXXIV.**A. D. N.**CID.  
XXXVI.**A. D. N.**CID.  
XXXVII.**A. D. N.**CID.  
XXXIX.*

Otho pacem petijt, & satisfactionem promisit. Composito igitur regni Burgundiæ statu, Geneuæ, Anno millesimo, tricesimo quarto, ab Heriberto Mediolanensi antistite, qui eo Insubiæ legatus ad sollicitanda Imperatoris arma, fortè aduenerat, rex Burgūdiæ, filij nomine, coronatus est. Eodem tempore obiit Vartmannus Constantiensis episcopus Heremi quondam monachus. Successor nominatus Eberhardus frater eius germanus, nostrine etiam monasterij non adfirmauerim. Anno millesimo tricesimo sexto Cunradus, hieme jam ingrauescente, exercitum per Tridentinas valles in Italiam ductauit. Veronæ dies natalitios egit. Veronâ, anno sequente, Brixiam, & hinc Cremonam, Mediolanumque, & mox Ticinum cum copijs venit. Ibi Heribertum archiepiscopum rebellionis incusatum comprehendi iussit, & Popponi Aquileiensi patriarchæ in custodiam tradi. At ille fugâ elapsus omnes contra Imperatorem rebellionis vires conuertit, Mediolanumquè, & vicinas vrbes Placentiam, Cremonam, Vercellas, & earum Episcopos ad arma concitauit. Cunradus, paschate Rauennæ celebrato, Mediolanensium suburbana vastauit, & hinc urbem totis copijs circumfedit. Neque longa obsidio fuit. Deditis, domitisque Insu-  
bribus, Episcopos quidem, & concitores belli in exilium exegit, reliquis leges, & iura dedit, sacramentoque eorum accepto, Parmam concessit. Ibi cum ex ciuibus tumultus prope oppressit, multique militum & opidanorum cecidere, & postremo vrbs incendio extincta est. Dum eo, quo retulimus modo res in Italia gerit Imperator; Otho comes Campaniæ arma resumit, Lotharingamque ingressus Barum expugnauit, & incēdit, nihil hostilitatis intermisit, donec secordius agentem, natâ ex successu cōfidentiâ, missu Imperatoris Gotelo dux Lotharingiæ inferioris ex inopinato oppressit, & interfecit. At vero Cunradus Italiæ in officio retinendæ intētus, & sollicitus, anno millesimo tricesimo octauo, Etruriam versus cū exercitu contendit. Inde, Latio peragrato, & vicinis regionibus, cum Adriatici litoris oras redeundo sublegeret, orta æstu anni, & aëris locis lacunosis grauitate, pestilentia

magnam



magnam exercitus partem corruptit. Desideratus, eadem tabe Hermannus IV. dux Allemanniæ magno sui desiderio v. Idus Augusti, Tridentique sepultus. Imperator Heinricho Cæsari filio Hermanni fratri vterino ducatum commisit. Ea maximè causa fuit cur reliquias exercitus infectâ ex regione Cunradus deduceret. Quamobrem continuis itineribus in Burgundiam post Othonis cædem adhuc turbidam Penninisiugis descendit, Salodoriq; provincialium conuentum habuit, sibiq; & filio, nouo iurciurando obligauit. Inde in Belgium mouit. Traiectum cum ineunte Iunio adpulisset, inopinatâ morte extinctus est pridie Nonas eiusdem mensis, anno millesimo tricesimo nono, relicto ex Gisela Heinricho Cæs. F. cognomento Nigro. Is rerum summæ præfuit, de cuius imperij principio hæc Vitichindi historici & nostri ordinis monachi, qui per ea tempora scribebat, notabilia. *Non bella pacem disturbabant, non classica quietem rumpebant, non rapina grassabatur, non fides mentiebatur, adhuc iustitia sui vigoris, adhuc potestas sui iuris erat.* Cæterum jam confecto, nunquam intermissâ sollicitudine, & sumtu, templo nostro, curatisq; quæ ad vsum videbantur, Eberhardum episcopum Embrius cum Hartmanno Curiensi, & pluribus alijs vtriusque ordinis viris clarissimis, ad consecrationem accersuit, inuitauitq;. Eberhardus magnâ sollennitate, & congratulatione id templum, vt prius fuerat, DEIPARÆ Virgini, D. Mauritio, & factos sanctæ Thebæorum legioni dedicauit. III. Idus Octobris. Loci venerationem, & lætitiâ communem auxerunt redditæ ab Augiensibus paullò antè, scilicet, pridie Nonas eiusdè mensis, magnâ cum pompâ S. MEGINRADI martyris, & primi Heremi præfidis corporis sacræ relliquiæ, quem multis hætenus miraculis celebrem, eodem tempore, Benedictus pontifex Sanctorum numero inseruerat, arisque, & templis, meritis illustribus digni iudicarat, centesimo, septuagesimo octauo, quam occubuerat, anno. Atque inde, restituto patrono, Heremo cumulatâ honos, fama, & frequentia. Reperio nostris in monumentis Augienses multis,

A. D. N.

C 12.

XXXIX.

&amp; con-

& continuis cladibus adfectos, & haustos, diu in incerto fu-  
 isse, quod malorum remedium esse posset. Remittendi de-  
 nique corporis S. MEGINRADI, quod obstinati haecenus  
 negauerant, consilium incidisse. Ex eo cladum, & cala-  
 mitatum successisse finem, monasteriumque, vti prius, ita  
 deinceps florere incepisse. Condita sunt S. MEGINRADI  
 reliquiae a D. Mauritij. Fine anni, ne tot latis aliquid  
 turbidum deesset, Hartmanni Curicensis episcopi, Heremi  
 olim Decani, mors interuenit. Successorem nactus est Thier-  
 marum. Anno millesimo quadragesimo, Henricus Caesar,  
 tentato frustra Bohemiensi bello, superiorem Germaniam  
 perlustrauit, Constantiae natalem Dominicum celebravit,  
 inde in Augiam transuectus ibidem aliquamdiu subhaesit, &  
 eodem in loco Heremitarum priuilegia, & jura, Caesarea au-  
 ctoritate, rata iussit, hoc edicto, quod licet ad verbum prope  
 ex paterno sumtum sit, tamen apponere volui tanti Impera-  
 toris, & tam benevolentis in gratiam, & honorem, me-  
 moriamque sempiternam.

A. D. X.

C15.

XL.

*IN nomine sanctae, & indiuiduae Trinitatis. Henricus,  
 diuinam fauente clementiam, Rex. Nouerit omnium Dei fi-  
 delium, nostrorumque vniuersitas, Qualiter res a quibus-  
 dam, ob aeterna recompensationis spem loco sancto MEGIN-  
 RADES Cella nuncupato fratribus ibidem, sub abbatum re-  
 gularium monachico moderamine, manentibus, vel in poste-  
 rum successuris, DEI seruitio commodius sustentandis, con-  
 cessas, praecepti auctoritate regalis confirmamus, cum locis di-  
 uerse illo contraditis, ac huiuscemodi subnominatis, id est,  
 Iuris sui curtem Riegol vocatam, cum locis Endinga, Uene-  
 linga, Chenzinga, Deninga, Purcheim, Baldinga, Rott-  
 uuila, Betzenhusa, Berga, Bochesberg, Zarda, Liela, Tut-  
 tesuelda, Richulinga, Birinheim in Ducatu Alamannico,  
 in pago Brisgouue sitis. In Comitatu etiam Zurickouue, lo-  
 ca Uffenouua, cum ceteris eo pertinentibus, id est, Pfassing-  
 houa, Vringhoua, Ecclesiaeque in Meiolano sita, ceteraq; il-  
 luc, ubicumq; terrarum iacere videantur, pertinentia, cum*

dote eius-

dote eiusdem Ecclesie, Chalthebrunna, Utonisuuilere, Steuia, Bachin, Lindunouna, Rutin, Menindorff, Ezilinga, Friginbach, Raprechtisuuilare, Sibenciha, Vuagana, Rutin, Vuanga, Suites. In Comitatu Turgouue Aschenza, cum sibi pertinentibus locis. In Comitatu, qui dicitur, Bargaen, in villa Lanba dimidiacolonia. In Comitatu Buxgouue, in vico Buxita, colonia vna. In Comitatu Oberargouue 1111. hoba. In Comitatu Ciurichogouue pradium quoddedit Tiemo Comes, id est, dimidium Aradingen: In villa Adalinhouua hoba. 1. In Liele 1. In Villare 1. In Turbata 1. In Richenbach 1. In Hittenhoua. 1. In Comitatu Linzigouue, Teisindorff, Turinga, Rutin, Heuruti, Nidereuuilare. In Richenbach hoba. 1. In Comitatu Ilregouue Erolfesheim. In Elsaço in villa Barthenheim hoba. 1. In Comitatu Rhetia Quadrauedes, cum censibus cunctis, id est, fiscum de accensis ignibus, adiutorianostre expeditionis cincta, ceteraque omnia ad regale ius pertinentia, & Meilis, Senouio, Enslie, NeZudra, Cise, Vallis Trusiana, Campesta, Berouba, cum capella in villa, que dicitur, Vuanga constructa, Lateria, Bocharia, & Cinctis. Hac quippe omnia, cum singulis eorum appertinentiis, id est, vtriusque sexus mancipiis, adificiis, terris cultis, & incultis, siluis, pratis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, piscationibus, vinetis, alpiibus, censibus, placitis, seruitiis, viis, & in viis, exitibus, & re ditibus, que sitis, & inquirendis, forestibus, & cum omnibus, ita ut ab antecessoribus nostris regibus, siue Imperatoribus, vel à quibuslibet ceteris eidem Ecclesia sanctissima matris DEI MARIE, abbatis, fratrumque, vsui proprio condonata, sub nostra excellenti auctoritate firmamus. Ea scilicet ratione, ut, omnium inquietudine circa hac penitus semota, nullus aliquo potestatis iudiciaria pradius regimine, easdem iam dictas res nec aliquatenus molestare, vi rapere, inaniter disperdere, seruitia inde in quacumque re exigere, vel aliquid iniuria familiarum eorum intus, vel foris, vel capitalibus censu alibus inferre presumat, nec ad seruitia iniqua constringat, vel aut sua tollendo, aut inique exprimendo, vel à fratrum

iam di-

*iam dictorum continuo seruitio aliquatenus deducendo, vel impediendo consigat. Et ut hoc nostrum preceptum praesens cunctis sanctae DEI Ecclesiae filiis à modo, & deinceps firmissimum, stabiliusque viuis, ac successuris credatur, ac certificetur, hanc chartam inscribi iussimus, propriaque manu subtus firmatam sigilli nostri impressione consignari iussimus.*

*Signum Domini Henrici regis invictissimi.*

*Theodoricus Cancellarius vice Bardonis archicapellani recognoui.*

*Data 11. Non. Febr. Indictione VIII. Anno Domini-  
cae Incarnationis. M. XL. Anno autem Domini Henrici  
tertij regis ordinationis XII. regni. I. Actum est Augia.  
Feliciter. Amen.*

Sed ex hoc quoque diplomate multa multis, & diuersis in locis, & Comitibus ad monasterium peruenisse satis compertum est, quibus benefactoribus, aut modis, & quando, haut perindeliquet. Atq; ob id, praeter causas alias, diplomatis huius lubenter exemplum addidi, ut inde appareat quanta Heremitarum, tota prope Germaniam, opinio, & fama, & ex illo omnium etiam remotissimorum adfectio, liberalitas, & veneratio fuerit. Neque mirum adeo videbatur, cum praeter loci diuinitus additam à principio religionem, nobilitatis rerum caelestium studiosae, & praer illis terrena haec, & humana aspernantis frequenter celebrarent catus, adeoque in tanta Heremitarum multitudine pauci essent, nisi ex Comitibus, & baronibus, clarisque omnino, & antiquis familijs oriundi. Anno millesimo quadragesimo primo, ubi Embrius basilicam DEIPARAE, & D. Mauritij finiuit, sanctoque Meginrado in ea locum, sedemque, tamquam conditori, & primo Antistiti, constituit: S. Gangolpho nobili martyri eodem campo Bruelensi vicino posuit, quam hoc anno idem, qui supra, Eberhardus Constantiensis Episcopus consecrauit. Henricus rursus in Bohemiam ingressus sanctorum virorum precibus, suffragio, & consilio, quam milite, & ar-

mis, eius

A. D. N.

CIO.  
XLI.

mis eius ducem subiugavit, & ad mandata accipienda Ratisbonam coegit. Sequenti anno, perfecto Bohemiensi bello in Burgundiam venit, Principes regni in officio confirmavit, subditis leges, & iura dedit, controuersa dubia definiuit, magnam de se clementiæ, & iustitiæ famam fecit. Anno millesimo quadragesimo tertio xvi. kalen. Martij obiit Goslare Gisela Augusta, quæ suo in Heremitas fauore, meruit inter Monasterij patronas cooptari. Erat Hermannii ducis Allemanniæ, & Gerburgæ Cunrado Burgundiæ regeniæ filia. Primis nuptijs collocata Ernesto, qui post Hermannum III. Gisela fratrem Allemanniæ præfuit, cui Ernestum II. & Hermannum IV. vtrumq; Allemanniæ ducem peperit, secundis Cunrado Salico Imp. ex quo Heinricum III. tulit regem Germaniæ, & Burgundiæ. Is matrem Spiram transportadam curauit, & prope patrem sepeliendam. Pannonico mox bello confecto, & regni parte in deditionem accepta, in Allemanniam Constantiam venit, conuentumq; ibidem principum habuit. *In eo cunctis (verba sunt Hermannii Contracti tunc scribentis, & crediderim præsentis) qui contra se deliquerant primum ipse debitum omne dimisit, deinde precibus, & adhortationibus omnes presentes Sæuigenas, postea in aliis regni sui prouinciis idem actum iri satagens, dimisis debitis, & inimicitiiis, sibi inuicem reconciliauit, pacemq; multis seculis inauditam efficiens per edictum confirmauit.* Constantiâ Basileam, & inde, Rheno secundo, Maguntiacum uetus Agnetem Gulielmi Pictauiensis Comitis filiam sponsam accepit, & eo loco reginam initiari curauit, mox cum eâ Ingelheimi nuptias celebrauit. Anno sequenti, multa præclara in Pannonia gessit. Petrum regem restituit, Ouonem deiecit, & nouæ rebellionis, & perfidiæ manifestum denique capitis damnauit. Pacatâ Pannoniâ, magnâ Cæsaris & Germanicæ nationis laude, & famâ, exercitum in Burgundiam reduxit, anno millesimo quadragesimo quinto, quæ Reginaldo Agnetis auunculo, qui Comitatum tenebat, concitore, & duce, turbauerat. Exercitum cum Salodorum perduxisset, Reginaldus, reginæ maximè precibus, &

A. D. N.

C I O.  
X L I I.

A. D. N.

C I O.  
X L I I I.

A. D. N.

C I O.  
X L I V.

A. D. N.

C I O.  
X L V.

M hortatu

hortatu, & qui easdem partes defenderat Geroldus, deditio-  
nem fecerit x. Kalen. Februarias. Haut multo post Goslare  
Allemanniæ ducatum, quem post fratris Cunradi mortem  
tenuerat, abdicauit, cumq; Othoni palatino Comiti à Vie-  
telspach Bauaro, huius nominis 11. commisit. Ortum, co-  
dem tempore, post Benedicti v 11. mortem graue, & foedum  
in Ecclesia schisma, inter Siluestrum 111. Benedictum 1 x. &  
Gregorium v 1. Eadem caussa Henricus licet Pannonij, pro-  
fligato Petro, retinere viderentur, tamen ad vrbis imperij  
capitis res componendas maturè se contulit. Igitur quam  
maximis potuit itineribus in Italiam tetendit, Papiæq; , mox  
& Placentiæ conuentu episcoporum celebrato, cum eo quo-  
que Gratianus Cardinalis, qui se Gregoriū nominauit, obui-  
am Cæsari venisset recta Romam versus iter cōtinuauit. Su-  
trij rursus conuocatis Ecclesiæ primoribus, schismatisque  
caussis, & auctoribus cognitis, Gregorium dignitate exiit,  
& Suidigerum Babenbergensem episcopum pontificem sum-  
mum declarauit, x 11. Kal. Ian. anni sequentis, qui Clemens  
11. Hinc cum illo vrbem vigilia natiuitatis Domini anni mil-  
lesimi quadragesimi sexti ingressus, ipso die sacro vterque  
Clemens coronam pontificiam, Henricus Imperialem sus-  
cepere. Eadem Christi liberatoris nostri vigilia defunctus  
Romæ, quo Cæsarem secutus erat, Eberhardus Constanti-  
ensis episcopus, & in porticu S. Petri sepultus. Anno sequen-  
ti ineunte, Constantiensi episcopatu præfecit Imperator  
Theodoricum cancellarium suum. Postea expugnatis non-  
nullis, quæ obedientiam subterfugebant, castellis, in Ger-  
maniam redijt, bellum cōtra rebelles Frisios improspere gef-  
sit. Eodem anno, diem suum obiit Otho 11. dux Alleman-  
niæ. Anno millesimo quadragesimo octauo Imperator, com-  
itijs Vlmaë habitis, Allemanniæ ducem nominauit Otho-  
nem 111. Schuinfurti Franciæ Orientalis marchionem. In-  
de Constantiam, Tigurumque, & Salodorum venit. Vbi,  
conuentu cum Burgundiæ principibus acto, in Franciã Ori-  
entalem, & mox in Saxoniam transijt. Clemente defuncto,  
successorem nominauit Imperator Popponem Brixinensem

Episcopum

A. D. N.

CIC.  
XLVI.

A. D. N.

CIC.  
XLVII.

A. D. N.

CIC.  
XLVIII.

Episcopum, qui per nominis mutationem dictus Damasus  
 11. Sed neque illi longa vita fuit, tertio & vicesimo postea die  
 absumtus est. Tum vero missus Romā pontificiā auctoritate  
 Bruno Germanus nostri ordinis, tunc Tulli Leucorum epi-  
 scopus, qui ab Romanis cum honore acceptus Leonem scix.  
 dixit, eā vitæ sanctitudine, & integritate, multis vt inclarue-  
 rit, viuus, mortuusque miraculis. Anno millesimo quin-  
 quagesimo natus ex Agnete *Heinricus* qui post patrem im-  
 peravit. Anno sequenti, Theodorico Constantiensi Epi-  
 scopo cācellario suo Imperator qui succederet ex nostra quo-  
 que *Heremo* sumfit. Rumoldum enim inde monachum epi-  
 scopū Constantiensem dilegit, promouitq;, adeo per ea tem-  
 pora Episcopatum, & monasteriorum quasi erat seminari-  
 um. Fuerat Rumoldus primo Præpositus Goslariensis. Inde  
 ad nostros transierat, rejectaq; dignitate, humilitati, & solitu-  
 dini se tradiderat. Exstat ad eum apud Gratianum, falso licet  
 titulo, nempe *Grimoldi*, pro Rumoldo, decretum Alexandri  
 11. pontif. de eo, scilicet, qui per saltum ex negligentia ordi-  
 natus est. Anno millesimo quinquagesimo secundo, excuf-  
 fit abbas *Embricius*. Erat Babonis baronis ab Abensberg  
 terræ Bauariæ filius, eius Babonis qui ex duabus vxoribus fi-  
 lios triginta duos, & filias octo procreavit, & omnes eodem  
 tempore viuos habuit, filiosque *S. Heinrico I. Imp.* obtulit,  
 qui plerosque multis beneficijs locupletauit. Sed *Embricius*  
 fuit primo etiam Canonicus Frisingensis, & magnæ in eo  
 Episcopatu dignationis, verum solitudinis amore, & religi-  
 nis studio monachum in nostra *Heremo* cum induisset, plu-  
 rimos annos per summam integritatē inibi absumfit. Mo-  
 nasterio postremo præfectus, magno post se relicto desiderio  
 sui, vi. Idus Februarij plenus annorum exstinctus est,  
 cum annos xxvi. antistitem egisset. Sublectus  
 xv. Kal. Martij sequentis *Hermannus*  
 ex Comitibus Vitoduranis.

A. D. N.

CIX.  
XLIX.

A. D. N.

CIX.  
L.

A. D. N.

CIX.  
LI.

A. D. N.

CIX.  
LII.